

§. 22. Porro Estius (a) nobis opponit Ier. XVIII. 18. *Venite, percutiamus eum lingua;* & Erasmus (b) illud Horatii: *verbera linguae;* ac Ciceronis: *verberatur Tiro tacito duntaxat cognitionis conuitio.* Resp. de voce *πληκτης* eiusmodi exempla adferenda essent. Tam manifesta proprietatis deserendae ratio si in textu nostro inueniretur, quam in allatis locutionibus, facile nos aduersariorum nutui attemperaremus. At vero quemadmodum voces: *verbera, percutere & verberare* sine addito, quod vocant, alienante audientiae non nisi de realibus verberibus & plagis intelliguntur: ita multo minus vocem *πληκτην*, quae nullibi ita usurpata occurrit, absolute positam aliter, quam pro uiolento percussore accipere possumus.

Obiect. IV.

§. 23. Neque cuiusdam ponderis est illa Clarii (c) obiectio; quod nempe satis apertum sit, hoc non decere. Cur non in vocibus superbia, iracundia, vinolentia quoque metaphoram quaerit: nam etiam has Ecclesiae Ministri non decere satis apertum est. Eadem responderi possunt ad illud Hieronymi (d): *Apostolus Ecclesiae principem formans, non vetat esse pugilem & pancratiastem: quod etiam in plebeio & quocumque gentili si fuerit, reprehenditur.* Nam etiam polygamia, vinolentia &c. in quocumque homine reiciuntur, & tamen in specie Ecclesiae Ministro earum deuitatio demandatur. Imprimis enim Ecclesiae Minister omnia, quae vitae morumque integritatem violant, sedulo fugere debet, siquidem ipsum in omnibus virtutibus Ecclesiae suae typum esse oportet. i. Tim. V. 12. Tit. II. 7. i. Pet. V. 3. Et

Obiect. V.
& VI.

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

§. 24. Maioris momenti esse videtur, quod & ipse Lutherus moralem percussorem intellexerit, vertens hanc vocem per *Wochen*. Veneror equidem ut in omnibus rebus, ita etiam in incomparabili illa Bibliorum versione Magni huius Viri auctoritatem, & religioni mihi ducerem, si vel latum unguem temere ab eadem recederem. Sed hoc tamen a nemine Theologorum nostrorum unquam negatum est, neque negari potest, illum nonnullis in locis paululum a textu originali recessisse; id quod & hoc loco factum esse, supra dicta demonstrant. Neque Lutherum violentam percussorem vel in hac ipsa versione vel alibi exclusisse, ex aliis eisdem locis, ex quibus §. 19. duo allegauimus, colligere licet.

Obiect. VII.

a) c. l. (b) *Bibl. Crit. c. l.* (c) *ibidem*

[d] *T. 9, f. 246, in Tit. 1*

forfan